



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Media opinio solutione testimoniorum posterioris sententiæ probatur. c. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Prima ratio. Ipsi præcedit. De agentibus vero creatis spiritualibus eandem esse rationem, ostendimus infra disp. 189. cap. 2. Deus autem etiam in sententia recentiorum Thomistarum, quos in 2. cap. commemoravi, non ideo præfens est rebus, ut in ipsis operetur: nec propinquitatem loci, ut aliquid necessarium ad operationem exposcit; alioqui non potuisset facere uniuersum ex nihilo, cum antea non fuisset præfens rebus ipsis, quas initio ex nihilo produxit. Tum etiam, ut disp. 29. monstrabimus, Deus priusquam mundum produceret, non fuit in illa vacuitate imaginaria, in qua quidam arbitrantur uniuersum fuisse creatum: & quamuis Deus in illo spatio inani ante mundi creationem fuisset, in ipsis tamen rebus creatis, quas initio produxit, tunc incepit esse, quando eas de nihilo ad esse vocauit. Ad earum igitur productionem necessarium non fuit, prius in ipsis existere. Et quidem in omni opinione fatendum est, præsentiam Dei siue in rebus, siue in loco imaginario, necessariam non esse ad rerum creationem; eo quod potentia Dei infinita cum sit, propinquitatem loci arctari non debet.

Secunda ratio. Deinde si Deus, sicut alia agentia, indigeret propinquitate ad agendum, sufficeret ei, sicut omnibus alijs agentibus esse iuxta, non intra res ipsas, in quibus operatur. Nunc vero contendimus ex operatione, vel aliunde probare, Deum esse non solum propinquum, sed intimum rebus omnibus. Ex doctrina igitur Aristotelis de propinquitate agentium, præsentia Dei in rebus non satis ostenditur. Respondet Durandus, spiritualia agentia hoc præstare corporibus, quod hæc cum habeant extrema suæ quantitatis, quæ nequeunt res alias penetrare, satis est, si rebus, in quas operantur, coniuncta sint: spiritualia vero, cum quantitate careant, optime possunt res corporeas penetrare. Ceterum hoc frivolum est: nam quamuis spiritus natura sua intra molem corporis esse possit, corpus autem intra aliud corpus esse nequeat; ex vi tamen operationis non sequitur spiritum intra rem, in qua operatur, esse debere, ut in eam agere valeat, si corpori, quod est agens minus perfectum satis est, iuxta rem esse, ut in eam operetur: ad maiorem enim perfectionem agentis pertinere videtur, minus indigere propinquitatem loci ad operandum: ac proinde perfectius est in id, quod magis distat, etiam per interiectum spatium, operari.

Quod autem dixi de creatione omnium rerum, videlicet propinquitatem loci Deo necessariam non esse ad creandum, verum est etiam de conseruatione, quæ est quedam continua creatio. Quamuis enim prius duratione, saltem momento temporis, Deus sit in rebus creatis, quam ipsas conseruet, ea tamen præsentia non est quid præuium, & necessarium ad conseruationem, & sicut initio Deus non prius existens in rebus, eas creauit, sic etiam continuando eandem operationem, nec ad hoc propinquitatem loci requirit, ipsas conseruare potest. Quocirca præsentia Dei conseruationem rerum ita comitatur, ut ad illam nihil prorsus conducat.

Hoc ipsum manifeste confirmant rationes Scoti, quas 1. cap. huius disputationis retulimus. Quare non recte ait Durandus quæst. citata Deum in rerum conseruatione se habere instar sigilli imprimentis figuram in aqua, quod necessario præfens est aquæ, quandiu figura in ea conseruatur.

hæc enim sigilli præsentia ex parte causæ conseruantis tanquam aliquid præuium, necessarium est ad figuræ conseruationem. Dei autem præsentia, quamuis cum sua operatione, qua res conseruat, connexa sit, non est aliquid necessarium ad operationem, sed vel ipsam necessario consequens, ut contendit posterior opinio, vel aliquid necessario ipsam comitans, ut Scotus, & alij affirmant.

Alterum quod est obseruandum, ex dictis consequitur, nimirum ita in opinione recentiorum Thomistarum præsentiam connexam esse cum operatione Dei, ut operatio sit quasi fundamentum præsentia, ac proinde ad operandum minime necessaria: propterea dixi, in ipsorum opinione præsentiam non esse in Deo quid præuium, & requisitum ad operandum; sed totam questionem esse, verum ita sit præsentia cum operatione coniuncta, ut eam consequatur velut fundamentum, sicut contendunt Thomistæ, an aliunde, nempe ab essentia Dei solum proveniat, & operationem necessario comitetur, ut affirmat Scotus. Neque enim Scotus ait alicubi Deum operari, ubi non sit eius substantia: sed asserit, Deum esse secundum substantiam præsentem, ubique operatur, præsentiam tamen non ex operatione, sed ex essentia immensitate tanquam ex propria causâ provenire.

Quocirca inepte satis Dionysius Carthusianus d. illa 37. q. 1. Scotum reprehendit, quod asserat, non repugnare, Deum esse loco singulari conclusum, & in ostans operari, quasi ille existimet, hoc simpliciter non repugnare. Neque enim putauit Scotus, simpliciter fieri posse, ut Deus sit aliquo loco peculiari definitus: sed solum docuit, ex vi solius operationis non necessario sequi, ipsum esse, ubi operatur, ac proinde per locum intrinsecum non repugnare, si aliunde id fieri posset, ut Deus in loco peculiari existens in distantem materiam operaretur: quinimo hæc duo ita secum constare, ut ex vi vnius contradictorium alterius non sequatur: simpliciter tamen concedit Scotus, & qui eius sententiam sequuntur, fieri non posse, ut Deus sit loco peculiari circumscriptus, & in distans operetur, non quod ex vi operationis id sit impossibile, sed quia immensitati substantiæ ipsius alicubi non esse, repugnat.

Antiqui vero Scholastici superius allegati præter Egidium non satis explicant, verum præsentia Dei sit quid præuium requisitum ad operandum; an vero ipsa operatio sit fundamentum Deo, ut existat in rebus. Ex illis tamen S. Thomas asserere videtur, esse non fundamentum, sed aliquid præuium.

CAPVT IV.

Media opinio, solutione testimoniorum posterioris sententiæ probatur.

Cum apud Scholasticos omnes indubitatum sit, Deum immensum in omnibus rebus existere; tota huius rei controuersia, & opinionum varietas in assignanda solum ratione huius Carholicæ veritatis posita est. Quare, quid d. allatis rationibus mihi videatur, ex iactis fundamentis probabiliter etiam ratione ductus in hoc capite subijciam. Duo igitur mihi videntur, vnum est, non sola fide, & Scriptura sacra nobis constare, Deum ubique esse, sed etiam optima ratione philosophica id demonstrari. Alterum est, tamen non sequantur

II.

In omni opinione præsentiam ad operandum non esse necessariam.

Difficilis in quo versatur inter authores.

12.

Liberatus Scotus à calumniam.

13.

quantur absurda ex eo, quod dicamus, Deum in rebus esse ratione operationis, quæ inferuntur contra asserentes spirituales creaturam ratione quoque operationis in loco constitui; tamen doctores posterioris sententiæ efficaciter non probant, Deum ratione operationis in loco esse; quinimo eam ratione difficultat id suaderi potest. Circa priorem partem huius sententiæ suppono, id quod superius notauimus, videlicet immensitatem Dei in rebus omnibus satis expresse in Scriptura contineri, cuius testimonia disp. 27. c. 2. citauimus: imo vero quamuis Chrysostomus homil. 5. in c. 2. epistolæ ad Colossenses, & homil. 2. in epistolæ ad Hebræos, non multum de ratione sollicitus dicat, hanc veritatem sola fide esse credendam, etiam si rationi absurda videatur; hac tamen naturali ratione existimo optime demonstrari.

Si Deus non est in rebus ratione operationis, de quo nunc est controuersia, aut est ratione suæ substantiæ, aut ratione suæ voluntatis, nempe aut secundum quod est, aut secundum quod vult: non potest esse ratione suæ voluntatis: alioqui posset optime vnam rem deferere, & in alia se constituere; ac proinde, sicut spiritus creatus loco moueri; quod est absurdum. Nam, ut ostendimus disp. 8. i. quicumque effectus, quem Deus exterius voluntate sua operatur, ita libere ab eo pendet, ut possit ab eo non fieri: quare si Deus in aliquo loco pro voluntate est, posset eum deferere, & alio se conferre. Cæterum, quamuis Deus voluntate sua abique alia exteriori operatione in loco esset, negari non deberet, ipsum ubique hoc est, in omnibus rebus esse posse. Nam infinita virtus suæ voluntatis determinato aliquo loco, & præsentia non limitaretur: superest igitur, ut dicamus, Deum ratione suæ essentiae rebus, aut locis esse præsentem: cumque non sit maior ratio, cur potius in vno sit, quam in alio, in omnibus æque necessario erit. Dixi necessario, supposita tamen rerum creaturarum existentia, id enim, quod oritur ex ipsa essentia Dei, inquantum est, non libere, sed necessario procedit. Quare liberum non erit Deo, in vna potius creatura quam in alia esse, quamuis simpliciter possit rebus non esse præsens, si res ipsas, quas conseruat libere, destruere velit.

Posterior pars huius sententiæ confirmata manebit, si inductione constiterit fundamenta posterioris opinionis firma non esse: id quod sigillatim paucis ostendam. Primo loco adducta sunt Scripturæ testimonia, quæ si consuetam ipsius phrasin attendamus, non multum probant. Cum enim Plaltes, & Paulus causam assignant, ob quam Deus vbique, & in vnoquoque nostrum est, quod in ipso moueamur, & simus, & virtute eius quocumque feramur, & vbique sustentemur, non causam rei, sed cognitionis ostendunt, & more humano nobis se accommodant, ut ex Dei virtute, qua in omni loco conseruamur, intelligamus, ipsum vbique esse; & ut ait Chrysostomus homil. 38. in Acta Apostolorum, quem sequitur Theophylactus, in illud Act. 17. quasi exemplo corporali, Dei in nobis præsentiam declarent, ut, si ignorare non licet, aerem vbique diffusum esse, cum ipso viuamus, ita etiam & Deum vbique esse, non ignoremus; quia non tantum per ipsum, sed etiam in ipso viuimus: atqui ratio, & fundamentum, quo aer ponitur in loco, non est operatio, imo ad hoc ut operetur, opus est, ut ipse prius ratione suæ quan-

titatis prope nos sit: ergo inde non satis ostenditur, Deum esse in nobis ratione suæ operationis.

Accedit, quod Hierem. 23. inquit in hæc verba: Putasne Deus è vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longe? si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus. Quem locum in eundem sensum paucis solum verbis mutatis Septuaginta transtulerunt. Dicit ergo Dominus omnia, siue quæ prope sunt, siue quæ longius distant, sibi esse manifesta. ac proinde nihil in absconditis ipsum celari posse. Addit subinde causam vulgo magis manifestam, ut id, quod dixerat, demonstret. Nunquid non celum, & terram ego impleo? dicit Dominus. Ac si dicat, si celum, & terram ego impleo, nullus me latere poterit, aut propter longinquitatem, aut loci obscuritatem: cum tamen ratio, ob quam omnia sint Deo manifesta non sit sua immensitas, & præsentia, aut loci propinquitas, sicut est in oculo corporeo, ut aliquid intueamur, sed Scriptura exemplo, & more humano perfectam Dei notitiam nobis suadet. Eodem igitur modo, cum de illius immensitate loquitur, non curat, an operatio sit ratio, & fundamentum præsentiae, ut auctores posterioris sententiæ contendunt, sed præsentiam Dei in rebus facili ratione, & humano ingenio accommodata demonstrat. Neque aliud puto Patres docere voluisse, cum locis allegatis pro posteriori opinione operationem pro ratione præsentiae Dei in rebus tradere videntur.

Verum enimvero non debemus existimare, Scripturam vulgari solum ratione, & exemplo rerum corporearum ingenij hominum accommodato, aut Dei immensitatem in rebus ex operatione, aut rerum omnium notitiam ex præsentia probare voluisse; sed optima, & efficaci ratione utramque demonstrasse. Quamuis enim operatio non sit Deo fundamentum præsentiae, nec præsentia ratio cognoscendi omnia; recte tamen infertur, Deum esse in omnibus rebus, si in omnibus operatur; & omnia cognoscere, si omnibus præsens est. Nam si Deus potentia sua infinitus est, ut res omnes attingat, neque ipsis limitetur; non minus præsentia sua infinitus erit, ut in omnibus sit, neque ipsis finiat. Tum etiam, si Deus ita immensus est, ut omnia penetret substantia sua, non minus infinitus erit cognitione, quod nihil ipsum latere possit; siquidem eius essentia æque perfecta, & infinita in omnibus esse debet. Ex hoc tamen non sequitur potentiae operationem esse fundamentum ipsi Deo existendi in rebus, sed solum ex potentia, & operatione immensitatem Dei in rebus recte probari.

Adde, quod illo versu Psalmi: Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Propheta ostendere voluit scientiæ Dei immensitatem, quam nihil celari potest: eamque significauit nomine spiritus, & faciei: de qua multa dixerat in eo Psal. Cum igitur respondit, Si ascendero in celum, tu illic es, &c. causam expresse, ob quam Dei conspectum fugere non posset, quod videlicet Deus vbique sit. Quam rationem Ieremias quoque reddidit; cum tamen ea causa non sit, ut Deus omnia cognoscat, ut supra monstratum est. Cum vero subdit: Etenim in manu tua deducet me, causam propriam assignat, cur Dei faciem fugere nequeat. si primo diluculo assumptis alis ad mare vique confugiat. Cum enim Deus omnia operetur, & dirigat scientia sua, quam ibi dexteram appellat, eadem quoque deducet, &

Hierem. 23.
Putasne Deus è vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longe? si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus.

15

Aliter exponitur prædicti loci Scriptura.

16

17

Auctoris
placitum.

Chrysost.

Ratione naturali
demonstratur
Deum esse
vbique.

14

Solamur
Scriptura re-
simonia pro
opposita sen-
tentia addu-
ta.

& teneret Dauidem, si ad mare usque confugeret.

Ad 17.

Locum ad-
rum erudit
explicatus,

18

Attrectare
quid sit
Paulum.

19

Postremo denique probabile satis existimo, Auctor. 17. Paulum non de immensitate Dei, quā ubique præfens est, fuisse locutum; sed ostendere voluisse, quam facile ab vnoquoque nostrum verus Deus cognosci possit, & adorari. Quem sensum ex ipso contextu capituli perspicue mihi colligere videor. Cum enim Athenis vidisset Paulus aram, ubi titulus erat, *ignoto Deo*, ut eorum stultitiam argueret, qui Deum ignotum esse putabant, & colebant, dixit in hæc verba: *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Deus qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt, hic cæli, & terra cum sit Dominus, non in manus factis templis habitat, neque manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse dei vitam, & inspirationem, & omnia. Hoc est, cum Deus sit auctor omnium, non indiget templis manibus hominum factis, ut adoretur quod omnibus viventibus dat vitam, atque omnia conservat. Subdit: *Fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definitiis statuta tempora, & terminis habitationis eorum, quætere Deum, si forte attrectent eum. Quali dicat, cum omne genus hominum produxerit, universam terram in eius habitaculum præparavit, definitiis, & distinguens tempora in dies, & noctes, menses, & annos ad hunc finem, ut Deum auctorem suum querat, & inveniatur non sit, & præsentia loci, sed vera cognitione, & cultu religioso. Hoc enim est attrectare, sumpta metaphora ex tactu corporeo, quo res, quas querimus, inventas apprehendimus. Quia vero dixerat, *Si forte*, quæ particula est dubitantis, & facientis rem difficiliorem, quasi corrigens se ipsum, addidit. *Quamvis non longe sit ab vnoquoque nostrum. Ac si diceret, non est difficile ipsum attrectare eo modo, quem dixi, cum non sit longe à nobis, non sit, & loco tantum, sed etiam cognitione. In ipso enim vivimus, & mouemur, & sumus: sicut & quidam vestrorum poetarum dixerunt. Ipsi enim, & genus sumus. Hoc est, non longe abest à nobis, ut cognoscatur, siquidem, ut vestri etiam poeta dixerunt, ipsius factura sumus, ipso sustentamur, & conservamur. Ex nobis igitur ipsis non erit difficile eum cognoscere. Colligit deinde, *Genus ergo cum sumus Dei*, hoc est factura, & creatura ipsius, *Non debemus estimare auro, aut argento, aut lapidi sculptræ artis diuinum esse simile. Hoc est, Deum his rebus similem esse, & illis indigere, ut colatur. Si enim nos, qui sumus Dei factura, his rebus inanimis superiores sumus, neque ipsis vlla ratione comparari possumus, multo minus Deus eis indigebit. Cum ergo illud, *Quamvis non longe sit ab vnoquoque nostrum*, referatur ad illud, *Si forte attrectent eum*, ut ex dictis patet, neque contingat, Deum attrectare manibus, sed cogitatione, & affectu nostro; sequitur non de loci præsentia, quæ ad attrectationem manuum requiritur, sed de propinquitate secundum cognitionem, per quam Deus querendus est, & attrectandus, Paulum fuisse locutum: hæc autem & loci præsentia non pendet.****

CAPV T V.

Eadem sententia solutione rationum posterioris opinionis confirmatur.

Ostendimus hæcenus, non satis auctoritate probari, ut posterior sententia contenderet, rationem, & fundamentum existendi in rebus Deo esse operationem: superest, ut in hoc cap.

monstrems, rationem allatam pro eadem opinionem satis efficacem non esse. Ea autem innititur propositioni Aristotelis 7. Physicor. textu 10. quam cap. 2. retulimus, nempe causam necessario coniunctam esse cum effectu. Iam vero 3. cap. huius disputationis ostendimus, eam propositionem intelligendam tantum esse de agente corporeo, imo etiam omnia agentia corporata ratione longe diuerfa coniuncta esse secundum situm cum effectu, quam Deus sit præfens rebus, in quas operatur: quare vel hac sola de causa ratio illa non multum roboris habet. Verum concedamus, necessariam esse cuiusque agentis coniunctionem cum effectu: hoc tamen intelligendum est, non de quocunque agente etiam creato, & corporeo, sed de eo, quod vulgo dicitur operari immediate virtutis, & suppositi, ut ex Caietano cap. 2. huius disputationis explicauimus. Sic enim ipse colligit, Si agens hoc modo immediatum est, situm etiam & loco cum effectu debet esse coniunctum: verum hac etiam ratione nihil probatur. Ex eo namque quod aliquod agens utroque modo proximum sit, non sequitur, loco coniunctum esse cum effectu: ergo ex illa propositione intellecta, ut vult Caietanus, præsentia Dei secundum locum non probatur. Porro non sequi, esse loco coniunctum cum effectu, hac ratione demonstro. Immediatum agens in sententia illius immediate virtutis illud est, quod propria virtute: immediatum vero immediate suppositi, quod sine alia interiecta & supposita sibi causa operatur. Hoc autem sine loci propinquitate optine saluari potest, & intelligi; aliud enim est immediare, hoc est, nulla distantia interposita, aliud vero, nullo alio intermedio agente operari: posset ergo aliquod agens immediate suppositi, hoc est, nulla interiecta secunda causa operari, & tamen longe à materia, in quam operatur, diffusum esse. Quod si dicant Thomistæ, idem esse operari immediate in immediate suppositi, quod nullo corpore, & distantia interiecta operari, de quo solet esse verborum, non rerum controuersia, ut videbimus q. 23. artic. 3. tunc sane maior illa propositio vera est, omne immediatum agens debet esse coniunctum cum effectu: sed cum sub hac maiori sumitur, Deus est immediatum agens, supponit certe, quod probandum erat, ac proinde facile negari potest: quod si concedatur, solum sequitur, ut 3. cap. huius disputationis notauimus, Deum esse iuxta, non autem intra res ipsas. Id quod ad explicandam Dei præsentiam in rebus non satis est.

Ceterum alij hoc modo vrgent. Omne agens hoc ipso, quod operatur, immediate inmediate suppositi, non potest effectum à se remouere, & separare: ergo ipsi necessario coniunctum esse debet: imo ex vi operationis consequitur loci propinquitas. Verum hoc etiam modo ratio allata non magis efficax est. Cum enim dicunt tale agens non posse à se effectum remouere, si de loci distantia intelligant, facile negari potest, & iterum assument quod ipsis probandum erat: Si vero intelligant effectum cum causa ita esse connexum, ut ab ea non pendere non possit, id negari nequit: inde tamen non sequitur, simul secundum locum esse debere. Quare si aliunde id non repugnaret, posset Deus res omnes producere, & conservare, & eas à se longe remouere: hoc est, ex vi creationis, & conservationis id non repugnat.

Posset